



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 34. Alii Hæretici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

§. XXXIV.

Alii Hæretici.

Sæculum II.

A. C. 193.

Non multo post tempore alius Theodotus notus factus est, qui dicebat, Jesum Christum verum tantum, & purum hominem esse, conceptum de Spiritu S. & Maria Virgine; at Melchisedecheo inferiorem, quia ad ipsum dictum est; Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ipsum Melchisedechum fuisse virtutem cœlestem, advocatum, & intercessorem Angelorum, sicut Jesum Christum esse hominum; sed etiam ex hac ratione Christo potior habebat, quia esset sine Patre, sine Matre, & sine Genealogia, ejusque nec principium, nec finem comprehendi posse dicebat. Iste posterior Theodotus Melchisedechiano-
Append. ad Tert. præsc. c. ult.

rum auctor, erat Professione numularius. Secutus est Praxeas novam hæresin introducens, cum diceret, Deum Patrem omnipotentem eundem esse cum Jesu Christo, qui crucifixus fuit, unde inter alia etiam hoc consequebatur paradoxum, Christum ad sui ipsius dexteram sedere. Praxeas natione Phryx erat, & quondam sicut etiam Theodotus Byzantinus Montanistarum erroribus adductus. Ex Asia Romam venit, Montani sectam dimisit, immo Papæ ejus errores detexit; at simul hæresis suæ semina
Theod. 1. 2. hæ. fab. c. 6.

T t 2

spar-

Sæculum II. A. C. 193. Spargere cœpit, Martyrii gloria inflatus, quamvis nihil nisi carcerem, & modico quidem tempore, tolerasset; sectatores ejus dicti sunt Monarchici, quia, ne plura principia rerum omnium statuere viderentur, unam tantum in Deo Personam admittebant; alio nomine etiam Patropassiani appellabantur, quia Patri æque ac Filio crucis passionem attribuebant.

§. XXXV.

Auctores Ecclesiastici.

Euf. V. hist. 6. 33. **P**lures ea tempestate in Ecclesia Catholica Scriptores numerare erat fama clarissimos, quibus merito accensendus est Rodon, qui origine Asianus Romam venit, fuitque Tatiani Discipulus; is multos libros scripsit, in quibus præter alia Marcionis hæresin oppugnabat; illo referente scimus, tunc temporis illam hæresin in plures sectas fuisse divisam, quarum Auctores nominat, & refellit mendacia; nominat senem Apellem, de quo mentionem fecimus, qui unum rerum omnium statuebat principium, Potitum etiam & Basilicum, qui duo principia ponebant, sicut ipse Marcion, & Syne-roem, cui non pauciora, quam tria rerum placebant principia. Rodon etiam Tractatum de opere sex dierum composuerat. Candidus, & Appion de eadem scripse-

Sup. lib. 3. §. 35.